



Q. D. B. V.

ad. H. 9. 1493.

DISPUTATIO POLITICA

miss. a Lip. 77

DE

16 / 422.

JURE MAIESTA-

TIS ECCLESIA-

1662, 13

ASTICO,

QVAM

Consentiente Amplissimâ Facultate
Philosophicâ

IN ILLVSTRI AD ELMVM IVLIA

PRÆSIDE

M. HENNINGO *Wolckmar /*

GOSLARIENSI,


Publicè ventilandam exhibet

CONRADUS *Kensler /*

Lippiâ - Westphalus.

IN JULEO MAIORI.

AD D. IIX. MARTII.



HELMESTADII,

Typis JOHANNIS HEITMÜLLERI.

Anno cl^o l^o c LXII.

3



Handwritten scribbles at the top left of the page.

DISPUTATIO POLITICA
DE

JURE MAJESTA-
TIS ECCLESIAE
ASTICAE

Consensu Amplissimi Facultatis
Philosophicae

IN ACADEMIA AD EUNDEM VICE
PRESIDE


M. HENNINGO DOCTORE

CONRADUS
APUD MARIAM

ANNO 1711

3





CUM DEO!

THESIS I.

NON incommodè *Majestatis* sive summæ potestatis *Jura* in Politicorum scholis distingui solent in Politica sive *Civilia* & *Sacra* sive *Ecclesiastica*. Et hæc distinctio ab *obiecto* est deprompta, in quantum jura *quædam* versantur circa res divinas, h. e. circa cultum Dei introducendum, tolerandum, conservandum, propagandum ac defendendum; *quædam* verò circa res humanas vel politicas, cujusmodi sunt Ius sive Potestas leges ferendi & abrogandi, Ius Magistratûs (intermedios) constituendi, extremam provocationem sive appellationem recipiendi, bellum indicendi, pacem ineundi, foedera pangendi &c. *Illæ* primam Decalogi tabulam, adeoque religionem; *Hæc* secundam tabulam, adeoque salutem Reip. temporalem concernunt.

II. Verùm enim verò de omnibus istis *Majestatis* juriis sermonem facere super sedemus; quin imò nimis prolixum foret. Sepositis igitur cæteris hæc vice differemus de *Jure Majestatis Ecclesiastico*, per quod nihil aliud indigitatur, quàm ἡ *Πριμέλεια* τῆς τοῦ Θεοῦ sive *Cura* & potestas circa religionem, & circa illa, quæ ad conservandam religionem pertinent.

III. De *Religione* hic aliquid in medium afferre volupe est: nec abs re erit.

IV. *Religio*, notante *Becmano de orig. lat. ling. p. 46r.*

A 2

aliis,

aliis, ut Augustino & Lactantio, dicitur à *religando*, quia pietatis officiis Deo & proximo obligamur, & per hæc etiam Deo quasi colligamur ac ad salutem unimur; aliis, ut Ciceroni, à *relegendo*, quia legenda sunt & relegenda (repetenda) ea omnia, quæ ad Dei cultum pertinent. Nobis impræsentiarum perinde est, utram quis velit acceptare Etymologiam, quemvis hæc in parte suo sensu abundare permittentibus.

V. Est autem *Religio*, Lipsio l. 1. Pol. c. 3. describente, *cogniti Numinis veneratio certis legibus certisque ceremoniis de-
vincta.*

VI. Varia est, & à variis variè ea distinguitur; nos pro instituti nostri ratione cum primis & specialiter eam intelligimus, quæ à fide in Christum *Christiana* dici suevit.

VII. *Huius* sunt distinctæ partes: *quædam* citra revelationem divinam in ipsum quoque lumen ac vires naturæ quodammodò cadit; *quædam* verò solâ revelatione divinâ & arbitrio, quin adeò & gratiâ extraordinariâ, nititur, atque sic supra lumen ac vires naturæ posita est. *Prior* communiter *Religio naturalis*; *posterior* purè *Revelata* ac merè supernaturalis appellatur. De hæc, quæ illius est additamentum, potissimum hîc sermo erit, non de illâ.

VIII. Ne tamen illotis, quod ajunt, manibus rem aggredi videamur, extremis labris degustare tentabimus, utrum Resp. aliqua sine religione consistere possit? Hoc est, quod cum Philosopho l. 7. Polit. c. 8. negatum imus. Sanè religio est iustitiæ & fidei fundamentum, & ubi illa animis est excussa, sceleribus variisque flagitiorum generibus fores reseratae sunt. Hinc Cicero: *Pietate*, inquit, *sublatâ fides etiam & societas humani generis, & una excellentissima virtus iustitia tollitur.* Nec abludit Plutarchus Religionem vocans *coagulum omnis societatis, & fundamentum legis.*

legislationis. Haud inconcinnè. Nemo enim, nisi Deum esse, eundemque honesti autorem & suasorem, probitatis remuneratorem ac severum sceleris vindicem esse, item Imperantes in terris fungi ipsius Dei vicibus, qui obedire detrectantibus frænum iniiciat, & à refractariis contumaciæ pœnas postulet, persuasus, ad arduæ virtutis amorem trahi: ut spontè legibus & magistratibus obsequium præstet, moveri: & ut fœdera, promissa atque iuramenta inviolata sistat, perducì poterit. Scitus hac in re Politicus fuisse creditur Numa Pompilius, qui, teste *Livio l. 1.* rebus humanis cœleste Nûmen interesse aiens, Romanos, consuetudine præriorum iam latrones ac semibarbaros, ad virtutis studium adduxit. Hic est fructus, quem concomitatur divinarum legum metus; præsentè hoc ab animis insolens motus & omnis rebellio abest: sublato hoc homo est velut effrænis equus. Sed paucis multa complectemur: Sine religione omnia humana iura, & consequenter omnes Magistratus pessum ire oportet. Ut proinde citius urbs sine solo, navis sine carinâ & domus sine fundamento, quàm Resp. sine divini Numinis metu constitui, aut constituta conservari queat.

IX. Cùm itaque manifestum sit, Religionem cuiusvis Reip. esse quasi fulcrum & *βάσις*, ut & legum honestæque disciplinæ vinculum, porro disquirendum venit, quorsum cura & potestas circa religionem spectet, an ad Magistratum Politicum, nec ne?

X. Hoc antequam eruimus, distinguimus inter Curam religionis *internam sive administratoriam*, quæ in verbi prædicatione, usu clavium (peccatorum ligatione vel remissione), & sacramentorum administratione consistit: & *externam sive directoriam*, quæ in dispositione me-

diorum de religione, Dei que cultu ex S. literis introdu-
cendo, conservando ac custodiendo consistit.

XI. Hisce ita expeditis, asserimus, curam religio-
nis internam sive *ratione administrationis* ad ministros Ec-
clesiæ; externam verò sive *ratione conservationis ac custodia*
ad brachium seculare sive magistratum civilem pertinere.

XII. Prius assertum ad forum Theologicum remit-
tentes, posterius arripimus. Ne tamen hæreamus, meli-
oris lucis ergo Magistratui politico certi sunt præfigendi
termini, quousque ipsius directio hoc in negotio sese ex-
tendat. Nimirum religio majestatis civilis directioni sub-
iacet, non (1) quoad ea, quæ concernunt media ad salu-
tem æternam necessaria. Ratio, quia solius Dei est vitam
æternam largiri. E. & solius Dei erit media ad istam du-
centia præscribere. Ut proinde summæ dementiæ in simu-
landus foret, qui media præscribere & dare se posse persua-
sum sibi penitus haberet, quæ tamen nullatenus in ipsius
potestate essent sita. Nec (2) quoad ea, quæ sub rectæ rati-
onis dictamen (religionem naturalem) cadunt. Etenim
Magistratus secularis aut iussa iubet & vetita vetat, aut ius-
sa vetat & vetita iubet. Si posterius, pugnat contra legem
naturæ, quæ ex ipsâ lege Dei æternâ quasi transcripta est;
sin prius, actum agit. Paucis: Nequaquam mutare, ne-
dum abrogare valet Magistratus, quæ ipsa naturæ lex, ut-
pote ipsius Dei exemplar, dictitat. Sed (3) quoad ea, quæ
faciunt ad *εὐχρημοσύνην καὶ τάξιν*, ad decorem & ordinem,
1. Cor. 14. v. 40. Hæc autem quænam sint, ex infra dicen-
dis haud obscure colligi poterit.

XIII. Omni obstaculo sic remoto, tandem proba-
tum dabimus, summam circa res sacras potestatem esse pe-
nes Majestatem civilem. Hoc, inquam, stabiliemus, &
quidem (a) *rationibus*, quarum præcipua hæc esse videntur:

Sine

Sine quocunque salus Reip. procurari & obtineri nequit,
illius cura & potestas ad Magistratum Politicum spectat.
Sed sine religione sive cultu divino salus Reip. procurari
& obtineri nequit. E. cura & potestas circa religionem si-
ve cultum divinum ad Magistratum Politicum spectat.
Majorem nemo, nisi qui cum ratione insanire vult, in du-
bium vocare audet. Minor etiam constat, & ex abundan-
ti ex §. 8. lucem mutuari potest. (β) *Scriptura dictis*. Sic
Deut. 17. Magistratui seriò injungitur, ne permittat idolo-
latrariam inolescere, sed subditos ad cultum divinitus insti-
tutum conformet. Spectant huc insignes tituli, quibus
Magistratus à Scripturâ exornantur. Vid. *Ios. 1, v. 7. Esa. 49,*
v. 23. Nimirum constituti dicuntur Principes *Nutritij &*
Patroni Ecclesie, item *Custodes legis* (utriusque, intellige,
Decalogi tabulæ), quò in verâ religione populum rege-
rent, *2. Paral. 19.* ac portas Domino aperirent, *Pf. 24.* ac
muros domus Domini ædificarent, *Es. 60.* & templi ruinas
restaurarent, *2. Reg. 12, v. 5, 6, 7.* (γ) *exemplo Davidis &*
aliorum. Davidem, sanctissimum Regem, ferè omnia ad
cultum exteriorem spectantia autoritate propriâ ordinâ-
se, S. literæ testes sunt. Nil jam dicemus de Mose, qui Ma-
jestate & civili & Ecclesiasticâ pollens, Aaronem fratrem
non solùm Sacerdotem & Pontificem constituit, verùm
etiam eundem ad idololatriam populo deservientem re-
prehendit; exemplo nobis duntaxat sint Saul, Salomon,
Rehabeam, Josaphat, Ezechias &c. qui præter jus vitæ &
necis, quod in Levitas, quin etiam in ipsum supremum
Pontificem habuerunt, curam circa sacra externam neu-
tiquam abjecerunt. (δ) *verbis ex jure civili petitis*. Ita e-
nim *Imp. Justin.* ait in *l. 3. C. de aleat.* *Non solùm bella benè or-*
dinamus, sed etiam res sacras. Huc accedit, quod Jus publi-
cum in *sacris & sacerdotibus* consistere dicitur, in *l. 1. §. 2. ff.*
de Iust. & Jur.

XIV. Pronum hinc est colligere, quo jure sedis & curiæ Romanæ parafiti potestatem jurisdictionis, ceu vocant, exterioris circa religionem Pontifici Romano attribuant, & Magistratui civili detrahere satagant. Veremur, ne totus Canonistarum grex unâ cum Papâ Gregorio VII. (aliâs Hildebrando, qui primus inter Pontifices Antichristum egit, & se supra omne, quicquid nominatur Deus in terris, h. e. supra summos seculi principes, extulit) succumbat.

XV. Sed hem! Quid nugarum secta Hildebrandina spargat, videamus, & quanto nisu eadem propugnet, Ecclesiam (ut jam nil dicamus de regnis & imperiis) unius Pontificis arbitrio subesse, audiamus. Fingunt nimirum (1) Petro, confessionem de Christo *Matth. 16, v. 16. seqq.* edenti, totum Christianorum cœtum inædificatum esse, & per regni cœlorum claves eundem accepisse primatum. (2) Petrum monarchicâ potestate sic instructum urbi Romæ sedem Episcopalem alligâsse, & xxv. annos (à II. Claudij ad xiv. Neronis) ibi sedisse, ejusque urbis ut & totius Ecclesiæ ad mortem usque visibile caput, Monarcham & Episcopum fuisse, cujus legitimus per legitimam seriem successor sit Papa. (3) Eundem Concilium Hierosolymitanum, cujus mentio fit *Act. 15.* indixisse, ibique præsidis officium gessisse.

XVI. Videmus hæc, non timemus. Ad singula aliquid responsi habent. Ad (1) Dudum Nostrates Theologi præfidentem textûs de Petro contorsionem ad oculum monstrarunt. Christus dicitur Petra, non Petrus; Christus est Petra, Christianus Petrus. Quemadmodum enim à Christo Christianus, non à Christiano Christus; ita etiam à Petrà (Christo) Petrus, non à Petro Petra vocatur. Quot autem sunt petræ? Non unâ plures, *1. Cor. 3. v. 11.* Unica

annos, quibus D. Paulus Romæ captivus sedit: adde etiam
tempus peregrinationis D. Petri in Ponto, Galatiâ &c. &
constabit, primatum Petri, quem Papicolæ tuentur, pu-
rum putum figmentum esse. Huc accedit S. Scripturæ si-
lentium & Historiographorum dissonantia, quæ isti asser-
tioni certam fidem conciliare haud potis est.

XII. Sed posito (non concessio), Petrum fuisse E-
piscopum Romanum, sanè non aliâ, quam ratione Apo-
stolatûs fuit. Et h. m. Romæ tres habuit Episcopos, Pe-
trum, Paulum & (teste Tertulliano) Johannem. Ast quid
hoc ad Papam Romanum? Nihil, planè nihil. Sanctorum
filij sunt, non qui tenent loca sanctorum, sed qui exercent
opera eorum. Papa quidem est Petri successor, sed non ni-
si (uti loquitur D. Johannes Giesenius) in abnegatione.
Quemadmodum enim Petrus abnegavit Christum: ita et-
iam Pontifex Romanus vitâ, verbis & factis Christi do-
ctrinam abnegat.

XIII. Nihil ergo apparet causæ, cûr adeò de succes-
sione Romanus Pontifex gloriatur, utpote cui scriptura
magis contraria, quàm consona est, Apostolos de munda-
no primatu litigantes redarguens. *Reges gentium*, inquit
Christus *Luc. 22, v. 25, dominantur eis, & qui jus habent in*
eas benefici vocantur: vos autem non sic. Præterea Ecclesia-
ri potestatem civili Magistratui subesse, suo exemplo
at. utur Gentium Doctör Paulus, se de religione accusa-
tum à Cæsare judicari volens, *Act. 25, v. 10.* Paucis: Petrus
nunquam sibi primatum, quem secta Hildebrandina fin-
git, arrogavit, nec potuit, cûm Christus omnes Apostolos
pari honoris atque potestatis consortio instruxerit, idem
ministerium, *ἰσὺν ἐξουσίαν* eandemque Ecclesiasticarum
clavium potestatem ijs dederit.

XIV. Ad (3) Falsum est, quòd solus Petrus in Con-
cilio

cilio Hierosolymitano quicquam præcipere aut definire præsumperit. Omnes communibus votis & sententijs controversiam ad eos delatam decidebant, omnes conveniebant, omnes sententias dicebant, omnes Silam & Judam mittebant, iisque quid in posterum observandum esset, communi decreto injungebant. Nihil ibi monarchicè præcipiebatur, sed aristocraticè cuncta componebantur. Cessent itaque stentorei Lojolitarum clamores, qui orbem Christianum personant!

XXI. Discussis ita, quantum quidem institutum nostrum permittit, Pontificiorum nebulis, inconcussum perstat assertum nostrum, potestatem & curam *ως* το *ἱερός* sive circa religionem ad Magistratum Politicum pertinere, & quidem in Regno ad Regem, in Aristocratiâ ad Optimates, in Politiâ ad populum, in Rep. nostrâ Romano-Germanicâ vi pacificationis Religiosæ Anno 1555. factæ vigore superioritatis territorialis ad quemlibet Imperij Statum. Spectat huc, quod Imperator Romanus in Imperij recessibus dicatur *Ecclesie Advocatus*, R. I. Ratisbon. de Anno 1541. item *supremus Ecclesie præfectus*, R. I. Aug. Vindel. de Anno 1530. Nec immeritò, certum siquidem est, Ecclesiam esse in Rep. non verò Remp. in Ecclesiâ: adeoque, quia curatio rerum sacrarum præcipuum Reip. fundamentum est, eandem ad supremam in Rep. potestatem pertinere, ultrò sequitur. Hinc Augustinus: *Hoc, inquit nonnulli, pertinet ad Reges seculi Christianos, ut temporibus suis pacatam velint habere matrem suam Ecclesiam, unde spiritualiter nati sunt. Et id, addit Isidorus, si non faciunt, Deo tenentur reddere rationem propter Ecclesiam, quam à Christo tuendam accipiunt.*

XXII. Inquis: Si Imperator rectè se vocat Protectorem, defensorem, Advocatum atque Præfectum Ecclesiæ,

Ecclesia Romana erit vera Ecclesia. Resp. intelligitur Ecclesia Christiana, quæ opponitur superstitionibus Turcicis, ceu patet ex R. I. de Anno 1512. §. und nach dem wir. & ex Capitul Ferdin. III. art. 1. §. 2. Sed hæc obiter.

XXIII. Ut autem propius ad scopum deveniamus, quænam ea sint, ad quæ potissimum conservandæ aut propagandæ religionis cura sese extendat, specialius pertractabimus. Nimirum ad Magistratum Politicum quoad sacra spectat I. *Concilia universalia convocandi, & ut omnia decenti ordine in istis fiant, disponendi potestas.*

XXIV. Cardo omnium Conciliorum potissimum in his duobus verti debet. Prius est orthodoxa doctrinæ cœlestis assertio; posterius *εὐλαχία* & politiæ Ecclesiasticæ apta constitutio. Prius quod concernit, sanè ad conciliandas dissensiones & extirpandas hæreses ac errores nihil salubrius est, quàm Conciliorum convocatio; posterius quod spectat, vix quicquam ad *ἀταξία* scandalorumque occasionem amputandam aptius est, quàm Conciliorum conscriptio. Utrumque quia non parùm ad Ecclesiæ, & consequenter etiam Reip. tranquillitatem conservandam facit, hinc Magistratus politici potestas ad Concilia generalia convocanda, transferenda, & ut ordine & decenter in ijs omnia gerantur, disponenda se extendit.

XXV. Probamus hoc insuper (1) hoc ratiocinio; Qui cum autoritate præcipere potest, & vim coactivam habet, ut Episcopos cogere possit, quò in Concilijs se sistant, ab eo Concilia convocari debent. Atqui Magistratus (solus) civilis cum autoritate præcipere potest &c. E. à Magistratu (solo) civili Concilia convocari debent. (2) ex praxi Ecclesiæ, in quâ omnia Concilia generalia ab Imperatoribus convocata & indicta fuere. Sic Concilium Nicenum Anno 325. contra Arium (non à Papâ Sylvestro,
ut

ut Romanenses volunt, sed à Constantino M. Imperatore fuit coactum; Constantinopolitanum I. Anno 381. contra Macedonium à Theodosio M. fuit convocatum; Ephesinum Anno 431. contra Nestorium à Theodosio Juniore conscriptum legitur; Chalcedonense Anno 451. contra Eutychem ab Imp. Marciano indictum fuit, cui & ipse Imp. interfuit; Constantinopolitanum II. Anno 548. contra Origenem ab Imp. Justiniano congregatum fuit; Constantinopolitanum III. Anno 681. contra Monotheletas à Constantino Pagonato institutum novimus. Alia jam tacemus.

XXVI. Cum itaque, ut ostensum, Concilia generalia à civili Majestate dependeant, haud difficile erit divinare, penes quem in nostro Imperio Concilium generale indicendi potestas sit, nempe non penes solum Imperatorem, sed & penes status junctim sumptos.

XXVII. Notanter diximus: *Concilium generale*. Et hoc quidem ob synodos sive Concilia particularia, quæ quilibet Princeps in suo territorio liberrimè cogere ac instituire potest.

XXVIII. Dicis: Si Magistratus convocat Concilium, sequitur quòd ovis congreget Pastores. Posterius inconveniens est dicere, E. & prius. Majoris consequentia probatur, quia Magistratus recensetur inter oves, Episcopiautem, ex quibus Concilium constat, sunt Pastores. Resp. Imperatores alijsque Magistratus Politici in Ecclesiâ bifariam considerari possunt: (1) quatenus sunt homines salvandi, & medijs per ministerium Ecclesiasticum ijs applicatis ad æternam salutem perducendi. (2) ratione eorum, quæ exterius ad regendam Ecclesiam ejusque tranquillitatem conservandam necessaria sunt. Distinctione hâc præmissâ negatur consequentia, siquidem non sequi-

aur: Si Magistratus Concilium indicit, quod ex Episcopis constat, quod ovis congreget Pastores. Quamvis enim Magistratus aliàs, quatenus consideratur ut homo salvandus, se habeat ut ovis, utpote cui æquè ac alijs incumbit medijs ad salutem necessarijs uti: attamen quatenus concilium convocat, se non habet ut ovis, sed ut princeps, cui à Deo concessa & demandata est ea, quæ ad Ecclesiæ tranquillitatem faciunt, curandi, & istos, qui contra eandem quicquam suscipiunt, coërcendi potestas.

XXIX. Sed quid hîc aulæ Romanæ assentatores? Ab hac Majestatis particulâ Magistratum secularem arcent, & Concilia aut Synodos convocandi potestatem soli Pontifici Romano arroganter tribuunt. Nobis tamen in contrariam partem præter ea, quæ generalius quodammodo allata sunt, sufficiat unicum primi istius Imperatoris, qui Christo nomen dedit, exemplum, putà Constantini Magni. Hic quamvis summâ reverentiâ Episcopos coleret, tamen quæ Majestatis jura erant circa sacra, minimè neglexit. Idololatriam inhibuit, templa Christianis concessit, & (quod ad præsens facit) contra hæreses Concilia celebravit, præprimis Concilium Nicenum, dum, teste Eusebio, Episcopos undique per literas honorificè scriptas, ut Niceam ad hæresin Arii retundendam & dissensionem ob Paschæ celebrationem dirimendam maturarent, accivit; quid? Non solum eos accivit, sed nec ijs domum abire integrum fuit, priusquam Imperator omnibus ad sua domicilia revertendi potestatem fecit.

XXX. Sistant jam se Pontificij, & primitivæ Ecclesiæ dicam scribant, eamq, si possunt, criminis insimulent, quod concilia indicendi & disponendi potestatem Majestati seculari concesserit, nec unquam ullius juris divini pro Ecclesiasticâ potestate mentionem fecerit.

XXXI.

XXXI. Nec quicquam Papicolas juvat, asserentes, Pontifici à Carolo & Ferdinando edicendi Concilij potestatem esse datam. Etenim eo ipso convincitur, quòd Papa ex se & propriâ autoritate edicere non potuerit, sed facultatem istam ex Imperatorum permissu, conniventia & indultu usurpavit. Sed fac, Pontifices Romanos profectum temporis jus concilia conscribendi ad se traxisse, multa etiam (de facto) indixisse: nullâ tamen præscriptione fieri potest, ut, quod jure divino institutum non est, ab eo institutum videatur. Hinc rectè Concilium Tridentinum à Protestantibus recusatum fuit, præprimis quia à Pontifice indictum, & tale non fuit, quale Protestantibus in Comitibus promissum erat.

XXXII. II. *Potestas sive Jus ordinandi ac Reformandi religionem.* Cautè hîc procedendum esse remur, ne distincta confundamus. Probè nimirum distinguendum inter ipsam Reformationem & inter externam Reformationis curam ac directionem. Illa toti Ecclesiæ; Hæc Principi, tanquã nobili ejus membro & nutritio, tribuenda videtur.

XXXIII. Jus hoc in Imperio nostro cui competat, frustra videtur disputari. Expressè enim hoc asseritur in Instrum. Pac. art. v. §. 12. *Cùm ejusmodi statibus immediatis cum iure territorij & superioritatis, ex communi per totum Imperium hætenus usitata praxi, etiam ius reformandi exercitium Religionis competat.*

XXXIV. Quomodo autem instituenda sit Religionis Reformatio, de eo inter se disceptant Autores. Namq; (1) Quidam existimant, religionem esse reformandam cum vi coactivâ, ita, ut subditi cogi possint ad fidem, quæ publicè docenda introducetur, recipiendam. Hujus opinionis Patroni sunt Scriptores Pontificij. (2) Alij sentiunt, subditos vi externâ trahi non posse ad religionem, posse tamen eos ex civiũ numero expelli & in exilium ejici, si nolint fidem
illam

illam amplecti. Pontificij rursus in affirmantem partem e-
unt. (3) Alij putant, religionis exereitium ita esse introdu-
cendum, ut cuius relinquitur conscientia libertas, & si
quis persuasus sit, se salva conscientia non posse amplecti
religionem illam, liberum ei sit in priori persistere, donec
divina gratia ad majorē veritatis cognitionē perducatur.

XXXV. Nos ultimæ huic sententiæ adstipulantes
cum Augustino asserimus, *mentium Regem esse Deum*, adeo-
que, quia Princeps in animos imperium habet nullum, ne-
minem posse cogi, ut aliquid invitus credat.

XXXVI. Sententiæ hujus veritas ut magis in apri-
cum prodeat, observandum, *Religionem esse partim opus in-
tellectus*, ex cuius parte requiritur assensus circa objectum,
quod apprehendendum proponitur: partim *opus voluntatis*,
ex cuius parte requiritur amor & fiducia in objecto appre-
hensio innixa. Nulla ex parte Religio hominis imperio sub-
jacet. Non ex parte intellectus, quia per nullius hominis
imperium fieri potest, ut assensum internum illis largiatur
mens, quando veritatem & convenientiam interiùs nul-
lam deprehendit; Nec ex parte voluntatis (quoad actus e-
licitos), hæc siquidem nullum admittit mandatum, ut a-
ctum appetitivum eliciat circa rem, cuius bonitas & con-
venientia ab intellectu nondum ostensa est. Nulla ergo re-
linquitur ratio, quæ coactionem Religionis tuadere possit.

XXXVII. A mente nostrâ non alienus fuit Stepha-
nus Batoræus, Poloniæ Rex, qui solitus est dicere, *Deum tria
sibi reservasse, Ex nihilo aliquid facere, Scire futura, & Domi-
nari conscientiis*. Nec abludivit Imperator Maximilianus II,
qui publicè fassus perhibetur, *nullum peccatum, nullam tyrannidem
& pestem esse graviores ac intolerabiliores, quàm con-
scientiis velle dominari*. Hinc, inquit Lactantius, *nihil tam
voluntarium est, quàm religio, in quâ si animus aversus, iam
sublata, iam nulla est*.

XXXVIII,

XXXVIII. Nec minus eleganter, quàm verè hæc de
re differit D. Dominicus Arumæus Disc. Acad. xv de J. P.
p. 389. seq. cujus verba, quamvis pluscula, huc transferre
non pigrabimur. Ita autem ille: *Theologorum*, inquit, & *IC-*
torum sententia est, non cogendam, sed doctrinam potius ac præ-
dicacione divini verbi hominum mentibus instillandam esse re-
ligionem, secundum illud Filij Dei, sinite pariter utraque cre-
scere usque ad tempus messis, Matth. 13. Fides voluntatis est,
non necessitatis. Et Theophylactus, Non quod fidei vestra im-
perem, quæ voluntaria est, Quis enim ad hanc invitum quem-
quam cogat & nolentem, Act. 15, v. 10. Matth. 28. Animus e-
nim, ut inquit Philippus Camerar. nobilissima hominis pars, &
cura divina igniculum præsertim Evangelicâ luce illustratum
nullis bellorum arumnis premi, nullo fidicularum aut equuleo-
rum genere cogi potest ad ea dogmata suscipienda, quæ vel à ra-
tione vel divinis scriptis aliena iudicet. Cumque sola divini-
tas interiora cordis agnoscat, perscruetur & iudicet. Solus e-
nim Rex illum, quem nuptiali veste minimè induzum interno-
scibat, foras ejici iussit, non ministri, quibus satis erat ad epu-
lum regium convivias vocasse, inq. eo belle officio suo perfunctos
fuisse, quibus nihil aliud mandatum, quàm Invitate, Vocate,
nemini non manifestum est. Quemadmodum Christus ipse in-
quit: Sicut misit me pater, ita & ego mitto vos ad prædicam-
dam veritatem, non verò ad occidendum, Act. 15, v. 10. Matth.
28. Qui Petro dixit: Pasce oves meas, Cui alienissimam iuxta
ac crudelissimam Baron. in vot. ad Paulum V. adiecit interpre-
tationem, pascendi verbo vita & necis potestatem venire, di-
ctitans mitis ingenij sacerdos iuxta illud, quod alibi Petro di-
ctum, surge & macta, Act. 10. Ex quo clarissimè liquet, non
debere ministros illud crudele in conscientias imperium sibi su-
mere & arroganter nimium usurpare. Fides ex auditu est,
non à violentâ coactione, & defendenda est religio non occiden-
do, sed

C

do, sed

do, sed monendo, non sevitia, sed patientia, non scelere, sed fide. Hæc hæcenus Arumaus, lectu & intellectu haud indigna.

XXXIX. Ne nimis longè ab instituto nostro abeamus, rem in pauca conferre perplacet. Nimirum sectarij aut sunt Seducentes, aut Seducti. Si sunt seducentes, & palinodiam canere recusant, eos, quia tranquillitatem Ecclesiæ turbant, Magistratus planè ex urbe ejiciat; si verò sunt seducti & simpliciore, ij informandi sunt, & si obstinati fuerint, tolerandi, hæc tamen cum conditione, ut pacatè vivant & privatim sentiant. Nullum hîc habere locum debet coactio, nullum imperium.

XL. Alij, ut rem expediant, asserunt, Coactionem esse duplicem: propriè & impropiè dictam. *Coactio propriè dicta est*, quæ per vim externam fit, & armis. Ex hæc non alius, nisi sanguine plenus, sperandus est eventus: id quod sufficienter testatur laniena Parisiensis Anno 1572, in quâ Parisiis menstruo spatio circiter 300000. trucidati sunt; in toto verò Galliz regno plures 100000. religionis ergo occisi sunt. Horrenda! Stupenda! *Coactio impropiè dicta est*, quæ fit verbis & rationibus persuasoriis. Illa illicita, hæc licita est.

XLI. Spectat hæc, quod Amplissimus noster *Comingius Disp. de Maiest. civil. aut. & off. circa sacra §. 106.* affert, nempe tres esse modos licitos, quibus religio Christiana introduci potest: (1) Omnem dissidentium vim & injuriam semovendo. (2) à teneris cives in religione Christianâ informando. (3) ad fidem amplexandam præmiis extraordinariis eosdem alliciendo.

XLII. III. *Potestas circa externos ritus & ceremonias Ecclesiasticas disponendi.* Quod & hæc ad Magistratum Politicum pertineat, vel exinde liquidum est, quia id, quod
in se

in se indifferens est, à Magistratu Politico determinari potest, ut vim legis accipiat.

XLIII. Non incommodè huc trahi potest *Festorum ordinatio*, quæ quoad externum ritum & festivitatem ad Magistratus Politici curam pertinet. Hinc Deus per Mo- sen, non per Aaronem, festorum ordinationem populo Judaico denunciavit, *Levit. 23, v. 1. seqq.*

XLIV. Notanter dictum: *Quoad externum ritum & festivitatem*. Etenim hoc in negotio sese duo præpri- mis offerunt: *Morale & Ceremoniale*. *Morale*, quatenus aliquod tempus venerationi divinæ destinandum est; *Ce- remoniale* (rituale), quatenus hic vel ille dies cultui divi- no inservit. Non quoad illud, sed quoad hoc (præsertim ubi ceremoniæ Leviticæ cessare debuerunt) feriarum con- stitutio ad supremam potestatem spectat. Quo jure ergo quòve titulo Pontifex Romanus sacrorum cultuum cu- ram & potestatem sibi sumpsit, facile divinando assequi possumus ex vaticinio *Dan. 7, v. 25.*

XLV. Festorum & feriarum constitutioni proxima est & subordinatur *Ordinatio Calendariorum*, quâ nec Eccle- sia nec Respubl. carere potest. Qualis enim esset futura confusio præsentium negotiorum, contractuum, pacto- rum, judiciorum, item historiarum, tam Ecclesiastica- rum quàm profanarum, si temporis distinctio amittere- tur? Sanè absque temporis ordine in rebus & actionibus civilibus nil, nisi tenebræ: in historiis nil, nisi caligo: in Religionis negotio nil, nisi inordinatio, expectandum foret.

XLVI. Hoc probè animadvertentibus Principibus laudatissimis, rectè ij hanc curam sibi sumpsere, ut discer- ni tempora, & rerum memoria propagari ac conservari posset. Sic Julius Cæsar (A. M. 3903. annis 44. ante Chri-

rum natum) primam industriam, adhibito in consilium Sosigene, in corrigendo Calendario locavit: unde & Calendarium Julianum, quo adhuc hodie utimur, nomen accepit.

XLVII. Sed quid Gregorius XIII. Papa Romanus? Hic Anno 1581. novum Calendarium, ab Autore Gregorianum (vulgò *der neue Calender*) dictum, propria auctoritate condidit, ac omnibus Christianis sub poenâ excommunicationis recipiendum mandavit. Quasi verò jus hoc ac potestas Pontifici competeret! Posito, nondum tamen concesso, Calendarium Gregorianum Juliano multò correctius esse, quia tamen deficit personæ habilitas, hinc rectè plerique Evangelicæ ordines Calendarium istud novum repudiarunt, cum auctoritatem & dominium Pontificis Romani non agnoscant. Faciunt huc verba, quæ habet *B. Lutherus Tom. Jenens. Edit. anno 58. p. 249.* Sic sonantia: *Das ist die ganze Hauptfrage / darauß der Streit beruhet / dann man fraget nicht / ob es recht oder unrecht sey / daß man bissher gebräuchlichen Calender reformire und ändere / sondern wer es thun sol / als nemlich die Majestäten / Keyser / König etc.*

XLIX. IV. *Ius Ministros Ecclesiæ vocandi.* Nec hoc facile in dubium vocari potest. Etenim Magistratus seculares debent esse custodes utriusque tabulæ, & tanquam clypei & scuta in populo Abrahæ eminere, ac providere, ut verus Dei cultus retineatur, falsus profligetur; quidni ergo etiam ad ipsos pertinebit cura vocationis Episcoporum? Porro ut Resp. tranquilla sit & beata, multum interest, quales sint Episcopi; quidni ergo etiam Princeps, ut finem istum assequatur, Ministros Ecclesiæ constituendi potestatem habeat? Tandem nemo facile est, qui ignorat, Magistratus Politicos debere esse Ecclesiæ nutritores; si hoc,

si hoc, utique ipsis provisio ac jus aliquod in constituendis
Ecclesie ministris concedendum est, ne videantur tantum
dici, sed & esse Ecclesie nutritores. Quo pacto enim nu-
trient, si ipsi dormiunt: si ipsi connivent ad errores, hare-
ses & falsos cultus: si falsos, impios sceleribusque coinqui-
natos doctores muneribus Ecclesie collatis alunt? Sane
hac ratione vix ac ne vix quidem Clypeorum terræ in po-
pulo Christiano munere recte fungentur.

XLIX. Cavetamen, ne existimes, nos hac in re o-
mnes partes & officia soli Magistratui civili attribuere vel-
le. Neutiquam hæc nostra mens est. Vocatio est bonum
& munus totius Ecclesie, non solius Principis. Hinc Pa-
stores dicuntur Ecclesie, non Principis Ministri. Unde
haud obscure patet, jus & potestatem Ecclesie Ministros
eligendi (de vocatione mediata loquimur) non soli Prin-
cipi, nec soli Clero, sed & populo competere. Singulis
sua stant salva, Magistratui civili Arbitrium; Clero Judi-
cium; populo Suffragium adjudicari debet. Sed hæc ube-
rius discutienda Theologis relinquimus.

L. Ad scopum. Magistratui Politico prima & su-
prema vocationis cura denegari haud potest. Istius nam-
que interest, de doctis, pijs ac fidei Ministris prospicere,
quorum ope ac industriâ fides sanctis semel tradita propa-
getur, hæresibus verò & schismatibus aditus obstruatur: &
quoniam inter Ecclesie Ministros nonnunquam reperi-
untur sacri demagogi, qui blandiloquentiâ suâ plebem
circumducunt & ad tumultus contra Magistratum eunt,
eiusdem Magistratus est, operam dare, ut tales ad Ministe-
rium Ecclesiasticum adhibeantur personæ, quæ sint pacis
ac concordie amantes, non suspectæ, à quibus timendum
sit, ne quid contra statum publicum & communem Reip.
quietem moliantur.

LI. Quis ergo est tam bardus, qui non sibi persuasum habuerit, Magistratui seculari in eligendis & vocandis Episcopis jus aliquod vel nominationis & praesentationis, vel confirmationis, vel utriusque (prout illud ijs sive ex officij ratione sive ex templorum exstrukione & bonorum Ecclesiasticorum fundatione, sive ex more aut etiam consensu & concessione competit) necessariò salvum esse relinquendum? Sanè nullà ratione probabitur, malè agere Principes, si constituendorum Episcoporum curam ad se pertinere putant.

LII. Neque teruncij facimus brutum anathematis fulmen, quo Conciliabuli Tridentini fabricatores à se hac in re dissentientes feriunt; hoc: *Si quis dixerit, ordines ab Episcopis collatos sine populi vel potestatis secularis consensu aut vocatione irritos esse, anathema sit, Sess. 23. Can. 7. de Sacramento Ordinis.*

LIII. Dicis: Multi tamen Canones Juris, ut vocant, Canonici omne illud jus potestati seculari eripiunt. Resp. Factum hoc est vel concessione Imperatorum, vel tyrannide Pontificum, praepriis cum omnia ceperunt in pejus ruere.

LIV. Non tamen velimus arbitreris, nos Magistratibus secularibus *αὐτοῦρα Τῶπιᾶν* quandam, qualem habent in regimine politico, attribuere, ut ipsis licitum sit invitæ Ecclesiæ, justas contradicendi causas habenti, Ministros obtrudere, vel etiam suo arbitratu Pastores, oblustante Ecclesiâ, ab officiis removere. Nullatenus. *In sinum Magistratus delata est Ecclesia, nempe in sinum, ut foveatur, non ut confundatur, sunt verba Reinkingij (l. 3. de R. E. Class. l. c. 6. n. 5.) ex Lipsio. Et, pergit idem c. l. sicut sidera splendorum habent, sed ut visibus mortalium deserviant: sic Magistratus*

stratus potestatem aliquam circa Ecclesiastica, sed cum utilitate Ecclesie devinctam habet.

LIV. Quamvis autem nulli negemus, autoritate, quâ in eligendis Episcopis pollebant, Imperatores & principes nonnunquam abusos fuisse, pro libitu & favore, quin etiam pro acceptâ pecuniâ, non consentiente Ecclesiâ, personas vel virijs notabiles vel alias ad officia Ecclesiastica gerenda minus idoneas obtrudendo: nihil tamen inde causæ fuit, cur Hildebrandus seu Gregorius VII. Papa Romanus, callidissimus ille Papalis Monarchiæ architectus, Henricum IV. Imperatorem (qui tyrannidem ejus odio habebat) proscriptum ab imperio deposuerit, regio titulo spoliaverit, & potestatem hanc Papatus Romani fastigio ejusdemque conjuratis Episcopis insulse alligaverit. En insolentiam fermè intolerabilem! Ecclesia potius Magistratus, tanquam Patronos & Nutritios suos, venerari ac pijs precibus Deo commendare debet.

LVI. V. *Ius Ecclesias visitandi, ac tum in cleri, tum in aliorum vitia animadvertendi.* Visitaciones ideò suscipiuntur, ut quotannis inquiratur in doctrinam & vitam tum Pastorum tum Auditorum.

LVII. Curam hanc Magistratibus secularibus, ceteris Ecclesie Nutritibus, maximopere incumbere, facile quivis colligere valet. Nutrire debent Principes, ne religio naufragium patiatur; patitur verò, si nulla tum Pastorum tum Auditorum (ovium) doctrinæ & vitæ ratio habetur; periclitatur eadem, si disciplinæ gubernaculum sive deque habetur aut planè negligitur. Quis jam adeò perfrictæ est frontis, ut accuratam & providam visitationis curam potestati civili denegare audeat?

LIX. Quemadmodum autem in omnibus, ita & hic *ἐν ἰατρικῇ* neuriquam exulare debet; nimirum per Con-
sisto.

historiales & Superattendentes cura ista perficienda. Hi namque sunt, quibus optimè Ministrorum Ecclesiæ & doctrinæ & vitæ ratio inquisitioni esse potest; hi sunt, qui, num vitæ regula cum doctrinæ norma conspiret, probè attendunt aut saltem attendere debent, pulchrum siquidem & ad ædificationem Ecclesiæ per sanè utile est, si bonus pastor non solùm prædicationis sanctæ verbo, sed & conversationis inculpatæ & honestæ exemplo præire studeat: secus si fit, unâ manu quod construitur, alterâ, dicente Nazianzeno, destruitur.

LIX. Tandem VI. Scholas publicas erigendi & constituendi potestas. Bellè huc quadrant verba, quæ habet Rev. noster Dn. D. Cellarius, p. t. Vice-Rector Magnificus, Sicut, inquit, ad Reip. stabilitatem multum facit, si ad illius modum homines instituuntur, ceu tradit Arist. 5. Pol. 9. ita ad religionis stabilitatem conducit, si semina illius pueris statim inserantur. Illi enim, quam semel imbiberunt pueri religionem tenaciter deinceps adherent. Decet proinde esse in omni Rep. scholas, quæ religionis aliarumq; artium sunt quadam quasi seminaria, quibus præficiendi sunt maximè industrij, 1. 2. Pol. c. 14. §. 22.

LX. Scholas communiter Autores dividunt in Triviales & Universitates. Trivales dicuntur à Grammaticâ, Logicâ & Rhetoricâ, quæ vulgò Artes triviales dicuntur, quia tribus quasi vijs in unum finem tendunt, in sermonis videlicet cognitionem, Grammatica siquidem considerat sermonem congruum vel incongruum; Logica sermonem verum vel falsum; Rhetorica sermonem ornatum vel inornatum. Harum rudimenta quia plerunque in scholis istis exhibentur, hinc scholæ eadem Triviales appellari solent. Vocantur & Particulares; item Classica (quod vocabulum non paucis ad salivam est) à classibus certis, in quas
scholæ

Scholæ distribuuntur. *Gymnasia* appellationem habent *ἄνω*
τῆς γυμνασίας, ab *Exercitatione* quotidiana.

LXI. *Universitates* unde dicantur, non satis liqui-
dum est. Alij putant, quia tale publicum Professorum &
Studioforum Collegium & quasi corpus formam quandam
referat parvæ universitatis; alij, quod hæc scholæ omnibus
pateant; alij, quod studia, quæ ibi tractantur, universis
proposita & publica sint; alij, quod Professoribus & Stu-
diosis literarum, Collegium atque Universitatem habere
liceat, quod alioquin jure prohibitum est. Vocantur item
Academia, cujus vocis etymologia varia à variis adducitur.
Per multi sunt, qui *Academiam* dici autumant ab *ἀκρό*, *Re-*
medium, & *δῆμος*, *Populus*, quia *Academia* sunt quasi re-
medium populi, vel publica medela contra toxicum in-
scitiæ & ignorantiae atque gangrenam vitiorum. Quic-
quid sit de vocum harum etymologia, nos eam curiosius
scrutari super sedemas, in primis cum id ab instituto nostro
alienum sit.

LXII. Scholarum originem Ecclesia Patrum ante
diluvium sibi vendicat; paulò post istæ etiam in usu fue-
runt inter Palæstinos in urbe Debir, quæ propterea *Kiriath*
Sepher h. e. urbem artium & disciplinarum S. Codex nomi-
nat Jos. 15, v. 15. Jud. 1, v. 11. Incrementum quomodo ce-
perint, determinare non tantopere necessarium videtur
esse. Post Apostolorum tempora florere schola Alexan-
drina, Carthaginensis, Antiochena &c. Temporibus sub-
sequentibus monasteria & Canonicorum Collegia incho-
arunt, ut artium officinæ essent. Tandem ubi in claustris
non exigua cœpit barbaries, & luxu ac otio omnis ferè pi-
etas cum literaturâ interiit, oportuit aliâ ratione literarum
cultoribus consuli, ne omnis bona & solida eruditio ex-
tingueretur. Quamobrem Seculo XIV. summorum Prin-
cipum

D

cipum



cipum auspicijs & munificentia pro scholis elaustratis
scholæ Regiæ, pro Monachorum collegijs Academia pu-
blicæ, quæ hanc ruinam resarcirent, condi cœperunt, quæ
ad eum morem, quo & hodie utimur, reductæ ad hunc usq;
diem feliciter perstiterunt.

LXIII. Cui in Imperio nostro Academies erigendi
ac confirmandi potestas competat, fermè controversiâ ca-
ret, siquidem jus illud Imperatoris Reservatis hodie accen-
setur. Quidnam autem de Vicarijs Imperij (Electo-
ribus, puta) tempore interregni sentiendum sit, altiorem inda-
ginem postulat. Besoldus & Limnæus potestatem Aca-
demies erigendi Vicarijs Imperij tempore interregni com-
petere negant. Si obijciuntur verba A. B. tit. 5. hæc: *Vica-
rj imperij habere debent omnem dignitatem & potestatem,
quam habet Imperator sive Imperium*; respondent, titulum
istum vel esse intelligendum de negotijs, quæ moram non
patiuntur: vel non debere trahi ad Reservata Imperatoris,
sed ad ea duntaxat, quæ administrationem Imperij con-
cernunt. Nos in medio id relinquimus.

LXIV. Requiritur autem Præsulis Romani in fundan-
dâ Academia confirmationem, contra Curia Romanæ
elientes negatum imus, quoniam cui nullum Majestatis
jus competit, illius (Pontificis, quâ talis) confirmatio in
fundandis Academijs non est necessaria. Sive ergo adfit,
sive absit Pontificis Romani confirmatio, dignitati Aca-
demiæ nihil detrahitur. Exemplis exempla nullo
negotio opponere possumus.

DEO SIT LAUS!

COROL-



COROLLARIA.

I.

Quando dicitur, ad matrimonium requiri parentum consensum, id non strictè & præcisè intelligendum est de consensu antecedente, sufficit siquidem etiam consensus parentum consequens, intellige, si consensus antecedens ob aliquod impedimentum obtineri nequit. Sic de Tobia Juniore constat, quod non habuerit consensum parentum antecedentem: nihilominus tamen habuit consensum consequentem, quem post matrimonium contractum parentes Tobia dederunt. Conf. *Tob. c. 7. v. 10. cum c. 12. v. 3.*

II.

Dari servitutem naturalem, plane negandum non est.

III.

Quamvis servus effectus alicujus sit causa principalis physica, nil tamen obstat, quò minus ejusdem causa instrumentalis moralis dici queat, quia ad nutum Domini, non autoritate propriâ, peragenda peragit.

IV.

Majestas in ampliori Rep. major non est, quàm in angustâ.

V.

Non ipsa Majestatis jura, sed eorundem exercitium, salvâ manente Majestate, communicari potest. Communicatio $\kappa\tau\ \alpha\epsilon\eta\sigma\iota\nu$, non $\kappa\tau\ \mu\epsilon\lambda\epsilon\tau\epsilon\sigma\beta\alpha\sigma\iota\nu$ hîc locum habet.

VI.

Personæ Ecclesiasticæ sunt quidem Majestati civili subjectæ quoad politicum vinculum, non verò quoad Ecclesiasticum officium.

VII.

VII.

Si iustitia belli intrinseca attendatur, bellum utriusque
iuste geri posse, neutiquam dicendum esse videtur.

IIIX.

Ignorantia vincibilis non excusat. Hinc qui ex igno-
rantia telonia transeunt sive (quod idem est) vectigalia
non solvunt, puniri possunt.



A Onis arvis qui laudis semina mandat,
Hunc tandem meritò messis opima
manet.

Improbis haud labor est, quem non comiten-
tur honores,

Quem non muneribus cingat Apollo suis.
Hem! Quid Parnassi properas conscendere
culmen?

Bellè. Te certò gloria digna manet.

*Amicè mente & manu Commensali & Amico
suo suavissimo, paucula hæc gratulans
apponebat*

P R Æ S E S.

F I N I S.



Helmsedt, Diss., 1662 (1)

ULB Halle


3

004 851 587



TA → OL nach 7+ B Stück verknüpft

1077





Q. D. B. V.

adfer. H. J. 1493.

DISPUTATIO POLITICA

DE

omiff. a Lip. pp

16 / 422.

JURE MAIESTA-
TIS ECCLESIA-
STICO,

1662, 13

QVAM

Consentiente Amplissimâ Facultate
Philosophicâ

IN ILLVSTRI AD ELMVM IVLIA

PRÆSIDE


M. HENNINGO Wolckmar /
GOSLARIENSI,

Publicè ventilandam exhibet

CONRADUS Kensler /
Lippiâ - Westphalus.

IN JULEO MAIORI.

AD D. IIX. MARTII.



HELMESTADII,

Typis JOHANNIS HEITMÜLLERI.

Anno *cl* l*o* c LXII.

3